

**DE VITIATA  
FERMENTATIONE  
VENTRICULI  
DEBILITATE, ET  
DOLORE, CUM...**

---

Giovanni Paolo Ferrari



tum optaverim, quæ magnæ Virtutis tuæ obstre-  
 pentiâ eloquia, gratæ laudationis brevitate com-  
 plectatur, & recolat; Verum enim verò, ut meæ  
 consulam tenuitati, neque meis altiorem viribus  
 provinciam subeam, mihi liceat in ipso dicendi  
 initio obmutescere, cum itaque verba desint, qui-  
 bus tuæ sapientiæ pompas explicem, silentio uti  
 exopto; eo ductus saniori consilio, ut loco elo-  
 quentiæ, muta laudet admiratio; Sicuti namque  
 Cycnus suum antè interritum dulce modulatur,  
 sic me silente, propè obitum, humilis Musa tu-  
 um canat elogium

*Qua micet involta Felix prudentia Mentis,  
 Mens tua venchris prospicit alta malis;  
 Subdita devictis Tibi dat Fortuna capillos,  
 Et subdit famulam sortè Tibi fida rotam  
 Sorte tamen melior Tibi dat sua munera Virtus,  
 Et pareæ votis utraq; juncta suis;  
 Te ventura canant aeterno sacula versu,  
 Quaque ornata Tuo Nomine Terra sonet;  
 Effigiesque Tui Vultus sculpatur in auro,  
 Notaque longinquis gentibus esse queat;  
 Fulgida caruleam Tibi præstat Gloria currum,  
 Gemmato nitidas, qui robat axe rotas;  
 Fori lora manu Virtus auriga gubernet,  
 Et nitidos roseo verberè ladas equos;  
 Carrus caruleum distinguant sidera calum,  
 Ex adamante micet currus utrumque later;  
 Circumpicta rota sua volvant Gesta per orbem,  
 Latus tua, nam pleno valet orbe capi;  
 Ut rota se vertent, ubi desinit, incipit; & Tu  
 Landis ubi cursu desinis, inde redis.*

Illustrissimæ Dominationis tuæ.

Famulus addictissimus  
 JOANNES PAULUS FERRARI.

DEO



Onestissima Marchionissa, non minus generis nobilitate, quam animi qualitibus excellens; temperamentu pituitosi, cum propensione ad melancholiam; ætatis annorum viginti quinque, post decem annos, quibus Sancto Matrimonij vinculo vincta fuit, semper sterilis; suum lunare

tributum sine ordine habuit, ut aliquando per tres menses nullum viderit signum, ideoque gravida censeretur; alvi stypticitate laborat, & nisi per stimulos exhoneratur; Lienis durities, & tumor manibus perlentuntur, pallore vultus, & macie tocius fædatur; Ventriculi debilitate cum flatuum copia, & aversione à cibo opprimitur. Multa sumpsit remedia, interque chalybis ulum frequenteravit; postea lactis potum; à quo tamen post tertiam diem abstinere coacta fuit ob intentum sthomaci pungitivum dolorem. Modò cachectica facta est, cum futuræ hidropis suspitione, &c.

Illusterrimam hanc feminam contumaci obstructione à viciata fermentatione laborare manifestum evincitur ab historia descriptorum symptomatum, præ quibus tollendis arduum sanè erit adinvenire remedium, tamen cum dubio careat adagium illud antiquissimum, quod bene perspecto morbo, ut plurimum opportunum invenitur pharmacum, liberè quid sensum exponam, præclarioribus apollinez artis cultoribus locum sistendo, ut meliora suadeant, meque doceant, &c.

ut ordine procedamus, exordium a Ventriculo, qui Stomachus appellatur, sumendo, ab hoc potissimum viscere primam tot pravorum effectuum causam derivare reor; Cum verum sit, & ab omnibus admittatur, quod orificium supernum Ventriculi constat ex fibris in orbem remeantibus, ac pluribus contextum nervis, quia naturalis appetitus est præcipua sedes, & ideo sthomacus magnopere sensibilis est factus. In parte sinistra Orificium superius residet, magnitudine, ac eminentia ab altero Orificio, seu Janitore distinctum, & à prædictis fibris nerveis in orbem comeantibus clauditur, ut vaporum assensus prohibeatur, & ingestorum regressus impediatur; Per nervos, & sensum exquisitum

4  
lypothimiz, & cardialgiæ, quasi cordis dolores, frequentes  
fiunt.

*Helmontius* Philosophus doctissimus animæ centrum, ac vitæ  
præcipuam sedem stomachum appellavit; situm namque est  
hoc Orificium ad undecimam vertebram Thoracis, & quam  
plurimi magni nominis Medici adsunt, qui pro Ventriculi  
fotu, potius hunc locum vicinum, quam anteriùs distantio-  
rem, ubi etiam hepar incumbit eligere suadent. Clauditur  
ab assumpto cibo, ut perfectior fiat concoctio, & sane, nè  
vario decubitu, ac reclinacione alimenta in os regurgitent;  
connectitur etiam Esophago seu Gulæ; quæ immediatè posi-  
ta est sub Aspera Arteria, & supra Vertebra cervicis; can-  
nalis est, & via, per quam alimenta ad Stomachum deve-  
hantur, sed quod summo perè mirabile est, quod in statu sa-  
no abbreviari, & aperiri solet per fibrarum longitudinalium  
intumescenciam, per circularium verò constrictionem solet  
constringi, & Magister meus *Marcellus Malpighi*, immor-  
tali laude dignus scribit, quod talis Esophagi motus peristal-  
ticus, seu vermicularis idè est factus, ut id, quod semel  
ingestum est in Esophagi cavitate non retardetur, vermium  
enim motum in uno loco se contrahit, & constringit, in alio  
se se tumefaciendo dilatat, & continuat sic facere, facta undu-  
lacione ab uno extremo ad alterum; At obliqua insertio  
surculorum nerveorum in fibras tendinosas tunicarum sunt hu-  
jus causa, inferius verò Orificium Ventriculi Pylorus, vel  
Janitor dictus numquam exactè clauditur, sed inferius, ve-  
luti continuato filo stillando mingit in Intestinum duoden-  
num, per fermentationis enim, & turgescenciam motum par-  
soluta, & cocta ciborum reliquiis sup-erflans Pylorum lasce-  
scendo, ac laxando exitum quærit, motuque peristaltico;  
Ventriculi, ejusque fibris variè se dimoventibus Chylus ad  
inferiora propellitur; omnia interim per fermentationem in-  
ter se agitantur, & confunduntur cum potulentis. Idem  
*Malpighius* tamen non credit, quod alimenta in Ventriculo  
liquata, & in Chylum versa, per solum Ventriculi motum  
peristalticum deorsum promovantur, nam præterea iucum-  
bentium viscerum pressura, & Jecoris potissimum, tum al-  
ternatus diaphragmatis motus, & compressio efficiunt, ut ve-  
luti

luti prælo expressa, quæ inertia sunt alimenta, & minus so-  
luta ad Intestina propulsentur; & ex orificiorum Ventriculi  
situ innotescere potest, quod dormituris conducit primò la-  
teri sinistro incumbere usque ad coctionis absolutionem, dein-  
dè in dextro, quia Janitoris osculum crassefactum, veluti  
Sphincterem musculum constituit, ut ampliari, & constrin-  
gi possit, idè que liquidioris, & facilioris coctionis alimen-  
tis facilem aditum permittit; rebus autem incoctibilibus, vel  
veneni labe infectis viam intercludit, & in verso motu facto  
vomitus est prima causa, & validus promotor, &c.

Istis de Ventriculi partibus delibatis, tamquam scitu necessariis  
ad ejus fermenti naturam investigandum opus est pertransire;  
Scribunt ergò saniores Medici, quod serum albugineum à  
nutritione spermaticarum partium residuum, per diuturnam  
moram, & frequentes circulationes, nec non per continuam  
actionem caloris in locis fervidis, absumptis suis particulis  
tenuioribus, dulcioribus, ac lenioribus acorem contrahit,  
& indiget ut à natura ad viscera demandetur, ad hoc ut per  
quamdam chymicam cohobationem, & rectificationem, de-  
posita inutili nervosis partibus nutriendis aciditate, possit ite-  
rum sanguineæ massæ utiliter commisceri; Sunt enim duo  
præcipui liquores massam sanguineam constituentes, nempe  
cruur, & serum albugineum; Sic præ cruoris defæcatione,  
ac amarore deponendo Natura hepar constituit, & præ seri  
albuginei acido tollendo lienem præcipuam Glandulam, Pan-  
creas, & alias plurimas Glandulas decrevit, à quibus depu-  
ratur, ac defæcatur, quotiescumque præternaturalis acidita-  
tis gradus confendit, vel moderatur, quotiescumque nimis  
acquosum plurima lympha dilutum sit. Contingit verò, quod  
sicuti amaror bilis non est innane excrementum, sic acor seri  
albuginei sit maximè Naturæ utile munus, immò facultati  
naturali apprime necessarium præ functionibus peragendis; est  
enim præcipuum instrumentum, quo Natura utitur in perfici-  
enda alimentorum coctione; sicque admirabili providentia  
ab eadem substantia seminali à sero albugineo veniente, ex  
qua in Utero compactum fuit animal, ab eadem pariter, ve-  
luti in alio Utero, scilicet Ventriculo materia paratur, ex  
qua singulis quibuscumque diebus per nutritionem idem ani-

mal restauratur, secus ad horas interiret, tantaque est vis, & energia hujus acidi vitalis, ac nobilis fermenti, ut nisi assumpta alimenta, licet optima, ab eo fuerint optimè subacta, & decenter fermentata, desperata res est, quod in Intestinis à Fellis, & Pancreatis Succis ad bonam frugem dirigi possint, vel in aliis nobilioribus officinis perfici queant.

Citatus *Joannes Helmontius* dicebat, quod chylus, qui hoc sigillo, caractereque destitutus est, nihil aliud est, quam inutilis, & excrementitius succus, digestio namque Stomaci universis aliis digestionibus præsidet; & *Zacutus Lusitanus lib. 2. prax. histor.* opinatur, quod unumquodque animal ex eadem substantia, ex qua primogenitum est, etiam perpetuo alatur, quod veritati consonum esse ab omnibus Philosophis admittitur, quia serum albugineum, quod seminis auctor fuit, in Stomacho nutritionis pariter primarium est instrumentum; Fermentum itaque hoc digestivum à sero albugineo oriundum ad tunicam intimam glandulis refertam Ventriculi à variis partibus venit, ut saltem, una via impedita, vel male affecta alii ductus supplere possint ad tanti muneris onus sustinendum, creditur enim ab omnibus medicinarum facientibus, quod primò veniat per Arteriam cæliacæ ramum dextrum massæ sanguinis comixtum, & ab his glandulis secretum, & ex nervis insignioribus ad os supernum Stomaci disseminatis, cum ingenti spiritu animalium cohorte dimittitur, ibique filtratur ad excitandam ciborum appetentiam, & coctionem vigorandam.

Annexi Lienis spirituosissimum, ac tenuissimum acidum filtrari, & communicari Ventriculo per annexas membranas, cum doctissimo *Malpighio*, omnes Doctores admittunt, quia cunctis, sit manifestum, qui norunt feri albuginei naturam, quia ad instar Mercurii vivi ascendit, vel descendit per evidentissimas bracteas, absque eo quod patentes canales habeat, solis porositatibus contentus, sic serum albugineum per membranas, & per ossa ipsa, ac partes spermaticas fertur. Via vasis brevis satis patens est, verum primariam, & perspicuam hujus vitalis fermenti agnoscimus à spiritibus animalibus acidusculi feri albuginei incolis per nervorum filamenta filtratis, circa os supernum Ventriculi depositis, ac assiduo im-

plu-

pluventibus, & per vasa excretoria Glândularum in Ventriculi cavitatem effundi, variis observationibus compertum est, ex quo eruitur ratio, cur quæ comeduntur in læto sodalio, ac illari animo facillè feruntur, quia affluentes animales spiritus cum sero albugineo confluunt, tristi verò nuncio accepto etiam appetenti, & inter epulas versanti concidit omnis appetitus, ideoque gravi terrore percussis, ira, vel alia ingenti animi passione exagitatis onerare Ventriculum, semper exitiale fuit, quia ex imaginatione cibus horridus, & nauseosus difficulter digeritur, sic studia, applicationes, & similia post pastum, dum animales spiritus procul à Stomacho avocantur cum suo sero albugineo digestionis munus impensè deturbant.

Ad probam igitur alimentorum fermentationem bonum est, ut cum acidusculo sero albugineo etiam animales spiritus inspicerentur, dum ex Arteriis naturaliter cum massa sanguinea permixtum simul cum ingenti spirituum animalium copia ad Ventriculum mitti valdè rationabile est, illudque interesse choreæ putamus, quod re vera primum mobile universæ vitæ est, & astrum, à cujus ortu, meridie, vel occasu infantia, vigor, senectus, & mors adveniunt, quia per vigorem fermenti Stomatici ætates omnes, & non numero annorum computari debent, juxta documenta neotericorum omnium, inter quos *Robertus Boyle lib. de fluiditate air, quod liquor solvens in Ventriculo crassa corpora, iisque fluiditatem impariens ex Arteriis in circulantis sanguinis transitu eicitur, &c.* *Marcellus Malpighius, Pompejus Sæccus*, & alii quamplurimi inter celebriores Auctores primarii, scribunt, quod ex sibillandi sunt quidam Medici leviusculi, & penitus Philosophi, qui credunt, quod fermentum hoc digestivum in sola aciditate consistat, quia est acidum quoddam specificum, quod in singulis speciebus animalium etiam distinguitur, eo quia observatum est Mures, & Glires pocius fame perire, quam Fascoles comedant, vel Falco panem, quia quæ luctantur cum nostra digestionem, repugnant specificæ proprietati fermenti nostri, & subigi recusantes fermentum conculcare nituntur, cum fuerit etiam observatum raros homines ad inveniri, qui aliquid sibi Stomacho hostile non habeant,

& idèd rationabile est credere, non tantum specificè ab aliis animalibus distinctum habere fermentum, sed etiam singulare, vel peculiare à cæteris hominibus, sicuti observamus vultum, vocem, genium, scripturam, & alia hominum monumenta esse diversa, sic pariter Ventriculi fermentum sit diversum ex congenèo liquore in esculentis reperto, nam aliquot diebus ante in esculentis elicitus, varias subiens alterationes in serum albugineum transivit, & per moram, & calorem acidius factum, & sic nutritioni minus utile ad Ventriculum, & Viscera naturalia demittitur, ut massæ ingestorum commixtum suum vitale character imprimat super cæteros universi corporis liquores tenuissimum, ac maximè spirituosum, tamquam vehiculum spirituum animalium crassa alimenta penetrare dissolvere, attenuare, & spiritualizare validissimum.

*Kergerus de fermentatione scribendo, ait magna fermenti in Ventriculo diversitas dependet à diversitate alimentorum ab animalibus assumptorum, atque propria natura congenèorum, ex quibus conficitur; aprofia enim manifestatur quod homines, qui alimentis duræ digestionis affuèti sunt, ex quibus fortius, & acrius fermentum paratur, si molliora, & teneriora alimenta assumunt, potius corrumpunt, quam ritè fermentata concoquant, propter fermenti discrepantiam, neque dubitandum est quod natura fermenti stomatici non sit acida, quia continuè in actu digestionis ab odore, & ructibus sentitur, ideoque docebat. Hippocrates quod in Febrientibus, & dysentericis ructus acidi bonum sunt signum, quia indicant ressituationem naturalis fermenti, & convalescentia; Verumtamen est, quod si fermentum nimis fiat activum, nimiaque aciditate inficiat Chylum, tunc generatur liquor nutritioni ineptus, neque in sequentibus coctionibus corrigi potest, sed importuna aciditate per vasa meseraica præ reptans corpus inæqualiter incallescere facit, & liquores exalationibus reddit ineptos, unde pori obstruuntur, & transpiratio prohibetur, ex quibus Etmullerus, & Sylvius febres generari credunt, & Helmontius exclamat, aliena aciditate in Stomacho admissa vicina sunt tormina, difficiles coctiones, ructus vomitus acidi, &c. Delato namque succo albugineo præternatu-*



naturali aciditate inquinato ad Stomachum præ fermento repugnantem principis vitæ, febris illic in campum exurgit, quod dedit occasionem Sylvio credendi universas febres in Visceribus naturalibus semper mineram habere, sicuti in Venis producere febres acutas, & continuas; extrâ verò inflammationes, irritationes, & dolores, &c. Naturaliter enim fit chylus in Stomacho acidulus, sed talis utà Fellis fermento post exitum Intestini duodenni possit in salum mutari, quia si in eo perseverat aciditas indomita, ut resistat fermento Fellis, tormina certò succedunt; verissimum namque est, quod ab hoc fermento depravato, deficiente, vel imminuto adveniunt febres, apestis, deiectio appetitus, nausea, vomitus, &c. Hac de causa nostra Illustrissima Aegrorans ab usu lactis præjudicia, & damna suprarecensita accepit, quia proprium lactis est in Stomacho acescere, non tamen eisdem optimum characterem natura tribuit, quia ejus aciditas est corruptiva, minimè nutriens, pessimoque effectus producit, ex quo jure merito Hippocrates 5. aphor. 64. febricentibus vetuit, prout sulsus ahibi monui; quia acidum in solis Visceribus naturalibus pacificè moratur, videlicet in Ventriculo, Pancreate, Liene, & Glandulis, in cæteris verò hominis partibus, si reperiatur, sua præsentia, omnia vertit in seditionem morbosam, exitialem, ac hostilem corruptionem, & sic dupliciter Stomaci fermentatio depravari potest, scilicet ad nidorem, sibilis motu peristaltico inverso ad Ventriculum feratur, vel ad acidum, si fermentum ejus nimis exaltarum à Visceribus circumscitis mittatur.

Animia etenim exaltatione hujus acidi genitæ fuerunt in Liene obstructions, ex quibus color pallidus, & sædus suprascriptæ Domiæ procedit, quia præ celebranda optima Stomaci coctione, & chylicatione concurrere debent primò spiritus animales cum suo acidulo sero albugineo volatili de sui natura salino, omnia solvere, & mutare abili, deinde concurrere debet calor Ventriculi proprius, postea peculiaris spiritus, ac internus ciborum calor, qui excitatus ab externo, non solum fermentationem promoveat, sed adiuvet, & solveat, quia ex cibariis illud solum mutatur in Chylum, quod potentiam habet, ut transmutetur, cum nullum aliud sit stifi-

rificium, quod à crassis, & compactis corporibus spiritus, & particulas volatiles separare felicius faciat, quam ipsa fermentatio, à qua spirituosæ, inflammabiles partes, è sæculentioribus tumultuoso fermentationis motu sequestrantur, quod enixè probatur ab experimentis Chymicis, etiam in mechanicis; Alia multa de fermentatione dicenda forent, sed quia cum Sapientibus loquor, paucis indigeo verbis, hoc tantum delibasse contentus, ad alia præjudicia examinanda me confero; & qui plura cupit legat *Malpighium*, *Saccum*, *Gallaratum*, *de Leboe Sylvium*, & alios, &c.

Ab obstructo Liene multa derivari præjudicia, sine dubio, à doctissimis omnibus Medicis admittitur, quia de hoc viscere scribendo doctissimus *Andrioli* summis laudibus extollit *cap. 12. pag. 21.* sic dicendo; *nobilissimum Viscus Lien in Hepatis consortium fabrefactum, ut alter à cruore bilem, alter à sero albugineo acorem tollere posses, & sic infectum sanguinis massam depurarent; Emuli quidem in officio, sed in liquoris depurandi nobilitate Lien Maris vicem gerere Hepar verò Feminae febreris, si perspectum habueris, quanta liquor albugineus cruorem præstantia, ac nobilitate vincas.*

Malè itaque affecto Liene, sanguis in Hepate optimè depurari nec massa sanguinea ad dulcem, & naturalem statum deduci potest; indè corpus malè nutritur, & splen intumescit, sicuti enim à bonè nutrito, & bonè valente corpore Lien parvus manet, nec intumescit; ideoque à melancholia depravantur Ventriculi actiones, appetitus, & concoctio ejus vitatur, undè Melancholici, & Hypochondriaci potissimum Spleneticus sunt, & sanguis, qui in Liene reperitur, cum obscuro colore tenuitatem habet, quia multa aqua est permixtus, ex quo evincitur ratio, cur ab Hippocrate Melancholia appellatur Aqua.

Morbi enim, qui à vitis Lienis oriuntur difficiles sunt cognitu, & curatu ob varia symptomata à Medicis practicis Protheo assimilata; non alia ratione, nisi quia dissimilis in se humor est, in quo aliquando partes tenues, aliquando crassæ, aliquando acqueæ, aliquando salinæ in actum erumpunt, ac exhalantur, unde ob complicatas indicationes difficulter curantur; tum ob rebellem crassarum partium

con-

contumaciam, quæ infinguntur, & loco moveri nolunt; ad-  
 de etiam, quod in his spermaticarum partium nutritio de-  
 pravatur, in quibus vires consistunt, quare refugium non  
 habent, ut per superiorem, vel saltem partem liquorem resi-  
 ci, atque ad temperiem deduci possint, bilis namque flavæ  
 affectiones per dulcem succum albugineum mitigari, ac tolli  
 possunt; sanguis verò acore contaminatus, vel à pravo fer-  
 mento multo difficilius ad dulcē naturam restitui potest,  
 quia consimiles morbi levibus non cedunt medicamentis, &  
 à vehementibus magis irritantur, nam per pravam fermentum  
 liquores effervescunt; partes in tumorem attolluntur,  
 aliaque graviora Symptomata emergunt, sic Lien præcipua  
 quidem, ac princeps Glandula est, præ feri albuginei depu-  
 ratione necessaria, non tamen sola, quia habet in consortio  
 Pancreas, qui tamquam sacculus depositarius est, sicuti in  
 Hepate Vescicula fellea, quæ & ipsa in aliquibus animalibus  
 separata est à Jecore, ut Pancreas à Liene, immò deficienter  
 Pancreate, Glandulæ omnes feri albuginei instrumenta de-  
 puratoria essent, quia univēsa viscera glandulosa fuere con-  
 structa, ut his mediantibus à massa sanguinea inutiles particu-  
 læ ab utilibus, crassioresquæ à subtilioribus segregarentur, &  
 sic nutritioni, ac facultatibus intervire possent, unde si ali-  
 qua ex his lædatur, recto sanguineæ massæ alterato statu sani-  
 tas periclitatur; propterea concludunt doctissimi scriptores  
 omnes, quod si graviter Lien lædi contingat, non potest  
 animal, integris facultatibus vivere immò citius mori cona-  
 tur, sine hujusmodi nobilis visceris auxilio.

celebratus *Malpighius* scribit spleneticos esse salivatores, & sic  
 apimè necessarium vitæ esse hoc viscus, eo quia, Liene be-  
 nè constituto corporis incolunitate gaudet, dum verò Lien  
 vitiosè augetur, corpus imminuitur; cum certum sit, quod  
 sanguis Lienis per venam cavam, & cor vehatur, ideo licet,  
 cum ratione, suspicari istorum duorum viscerum con-  
 spirationem existere; unde concludendum est, quod à ma-  
 le affecto Liene animalibus necessario multa mala debent eve-  
 nire, quæ etiam contingere possunt ex impedimentis Ner-  
 vorum, & viarum ad Lienem.

Laudatissimus *Andrioli* pag. 22. Lienem Hepatis coniugem ap-  
 pellat,

pellar, & *Galenus* 15. de *usupart.* tali nomine decoravit Lienem, dicendo, quod duplex Lienis, & Hepatis elaboratio prò una deputari debet, ex quo procedit, quod vas excretorium excrementi Lienis nullum est conspicuum, sed solum vas excretorium cholidocum in Hepate conspicitur.

Corpus enim Lienis constituitur, quasi explexu, seu rete nervosarum partium, seu fibrillarum variè se mutuo decufantium, & in quolibet occurfu firmè inter se connexarum, etiam quaquaversum ad ipsius tunicam, cui tenaciter affiguntur, ac indè reflectuntur; &c.

Nervos verò Lienis in hanc Choream tractos esse, atque suis nervosis fibris discisis Lienis prædicta vasa fibrosa constituerè, potius, quam cum eisdem inoculari, vel diramarari observant omnes saniores Anatomici, dum vident lymphatica vasa multiplicia sub Liennis membrana excurrere suis conspicuis truncis, nec falli posse credo, quia imbutus sapientissimis doctrinis Excellentissimi *Marcelli Malpighi*, qui Anatomicorum certò fuit *Princeps*, & magis oculatus, dum in *Anglia*, & in omnibus exteris ditionibus à præclarioribus viris medicinam facientibus *Nomen divinæ naturæ interpretis*, & *oraculi adeptus est*, loquendo in rebus ad Anatomem spectantibus, &c.

Parens horum vasorum sanguineorum cernitur amplitudo, & connexio; Rete enim efformant inæqualium spaciogram, frequentibusque valvulis fulciuntur, & postremò conspicuis ductibus per Omentum disseminatis in commune receptaculum exonerantur, & præcitat *Malpighius*, immortalis laude dignus, inventor fuit illius membranæ, quæ sua circumvolutione vasa Lienem ingredientia involuit, sicuti dictum est de Hepatis vagina, quæ exoritur ab interiori, & propria Lienis investiente membrana, & hoc involucrum, sicuti reticulares, Lienis fibrillæ nervorum soboles esse rationabiliter suspicatur, &c.

Antesignanus Magister noster *Hippocrates lib. de aere, aquis*, & locis potissimum Lienosos evadere, qui habitant loca paludosa observavit, & *Vallens in coment. epidem. 6.* paucopotentos esse jubet, secus de hydrope periclitantur; *Hoffmannus de usu Lienis* consortium Lienis, & Hepatis in opere

re arguens observat, quod sicuti Hepar concavum suum versus Lienem obvertit, ita Lien concavum suum versus concavum hepatis convertit; *Vartonus lib. de Glandul. cap. 4.* dixit, quod Lien viscus est ministrans Nervis potissimum, mediante sui Parenchymatis fermento, atque innumeris nervearum fibrillarum complicationibus; & *Bartolinus lib. de Glandul. cap. 13.* scripsit, quod Nervorum sexti paris ramuli in Glandulis succenturiatis, postquam firmissimum funiculum, & crassum variis nodulis efformarunt, inter cetera viscera potissimum ad Lienem feruntur, ac in ejus substantia disseminantur, quod confirmare videtur etiam *Helmontius*; ex quibus sanioribus doctrinis concludit laudatissimus *Andrioli pag. 25.* his verbis. *Hac consideratione suffulti, illos pessime sue sanitati consulere putamus, qui pluries in anno sibi venam tundere jubent, dum enim dulciori, ac recenti sanguine gaudent, illa salino--balsamica sanguinea massa condicione, quae ab antiquato suo liquore cohobato venire possent privantur, ex quo facilime status sanguinis corrumpitur, & sine hoc sale promptius collabatur; ex quo resipiscant tandem homines, & Medici omnes, & cognoscant, quam magnum piaculum, & horrendum praedictum sit sanguinem mittere, & naturam suo balsamico liquore exhaurire, &c.*

His breviter positis praedeterminatione causae morbi Illustrissimae Dominae Marchionissae, facili negotio deducitur quod causa ejus indispositionum tota pender ab obstructionibus, quae majores effectus fuerunt ab usu calidis, & Lactis, dum doctus sanè, & oculatus *Niccolaus Lemerii pag. 153.* & famigeratissimus *Thomas Vuwillis* asserunt calybem in Ventrículo Vitrum evadere, & contumaces producere obstructiones, quibus assentiuntur *David Vuonderbeeten lib. 2. experiment. rerum natural. pagin. 346.* *Aristotel. de temperament. Beccher. supplement. 11. pag. 37.* *Estomullesus pag. 268.* *idem Beccher. in Physica subterranea lib. 1. pag. 510.* *Malpighius pag. 268.* *Jul. Caesar. Claudinus lib. 3. capit. 4. pag. 866.* *Zacurus Lusitan. comment. histor. pag. 122. & pag. 440. cap. 15. & alii quamplurimi saniores Medici, quorum omnium doctrinas producere longum nimis, & laboriosum opus esset.*

Hic monendum esset de sterilitate, quae à stypticitate calybis eve-

evenire potest, vel à malis fermenti qualitatibus, vel ab aliis causis, sive à vitio Instrumentorum generationi inservientium, ut *Senertus de sterilitate lib. 4. part. 2. sect. 4. cap. 11. pag. 354.* & alii quamplurimi Doctores susus scripserunt; sed quia de hac materia longius tractare periculum subest ne prophanis inferantur stygmata, & quæ ab aliquibus ignorantur à multis ediscantur, quod Medicum Cristianum non decet, omnibus ergò doctrinis pessundatis quæ possent examinari, ad praticos Autores mittò Lectorem.

Color pallidus, & phædus, sicuti macies totius à Lienis obstructionis certum est provenire, à quibus pariter derivat fluxuum copia, nausea, & omne aliud incomodum, quo affligitur prædicta Illustrissima Matrona; quibus occurrere arduum sanè fateor, non tamen impossibile, quia multocius experientia compertum est, medicamentis ritè applicatis reseratas fuisse contumacissimas obstructions, prout *Fischerius* cum suis pilulis antimelancholicis pluries fecisse monet, & *Quercetanus* adhibuisse tartareas cum optimo eventu fatetur. *Sennertus* proponit usum extracti rabarbari, & aloes, cum sale tartari, & sabinæ, & se vidisse successus optimos testatur. Per mensem igitur adhibitis istis remediis, ad dracmam semis singulo mane, jejuno Stomacho, duabus horis ante prandium proponerem jus factum cum herbis cefalicis, & cardiacis incoctis in Ventre pulli Columbini veteris, & per multos dies in hoc insisterem ad demulcendam acredinem fermenti nimis austeri, deinde Ventericulum roborarem cum aqua clara secundum descriptionem Collegii Medicorum Gallorum ad uncias duas ante cænam, sicuti laudarem tamquam optimum, & efficax remedium aperitivum omnium obstructionum Pamech *Paracelsi*, quod nihil aliud est, nisi Tinctura ab auro elicita sine ullo spiritu corrosivo, ex cujus administratione asserit *Pompejus Saccus* vidisse curatas desperatas Cachexias; *Claudinus* comendat testacea præ acido moderando, ut sunt Margaritæ, & alia hujus generis, quæ non improbo; sicuti omnibus aliis generibus alcalicorum assensior. *Vulpini* insinuat usum elixir helmontiani à quo dicit optimos successus observasse in his casibus, quod possibile reor. *Gallaratus* habuisse in usu decotionem factam cum fo-

liis

15  
liis Artemisæ, Salviæ, Rosmarini, Cetrac, calendulæ, &  
similium testatur; Alii alia multa scribunt, quæ assidentium  
Medicorum prudentiæ consideranda relinquo; Interea subiun-  
gant meliora sapientissimi Polyatri, qui potiori lumine fru-  
untur in hac præclarissima Apollinea arte, præ sanitate recu-  
peranda Illustrissimæ Dominæ Ægrotantis, quia ego aliorum  
virtutem colens submisit me sisto venerabundum.  
Raptim scribebat Florentiæ pridie Non. Jun. Anni salutis ab  
ortu divini Solis MDCCXXXVI.  
Sub censura, &c.

JOANNES PAULUS FERRARI  
Patricius Parmensis Philosophus, & Medicus.

FLORENTIÆ. )( MDCCXXXVI.

Ex Typographia Francisci Moticke. Superiorum permissu.